


AVLI GELLII



NOCTIVM ATTICARVM

CAPITVLA EXCERPTA
DE VIRIS ILLVSTRIBVS
SAECVLI V A.V.C.

*Iōannēs Paulus Ferdinandī Flūminis sive Murgensis
modō Iōhannis Oerbergis composuit additāmentum
capitulī XLVI methodī LLPSI*

Claudius Quādrīngārius:
 historicus antiq̄uus
 prōvocātor -ōris *m* = quī
 prōvocat
 dē-pingere -pīnxisse -pictum
 = dē-scribere
 ap-prīmus -a -um = prae-
 cipiūs

accēpimus: didicimus
 induviae -ārum *f* = rēs quae
 induuntur
 quam: quās
 dētractam: dētractās (= ab-
 ductās)
 formīdāre = metuere
 vāstitās -ātis *f* < vāstus
 cui modi = quōmodo
 dē-certāre = pugnandō dē-
 cernere
 simplex -icis = plānus
 in-comptus -a -um ↔ ornā-
 tus
 suāvītās -ātis *f* = iūcunditās
 (< iūcundus)
 locus: pars scrīptī
 Favōrīnus -ī *nr*: magister A.
 Gelliī
 pulsus -ūs *m* < pulsāre
 dē-pugnāre = dīmīcāre

ad-scribere = scrīptum addere

anti-stāre = prae-stāre
 maximē proeliō commōtō:
 cum proelium maximum
 esset
 significāre *ut* quiescerent

pausa -ae *f* = quīēs

DE PVGNA T. MANLI TORQVATI

[*Ex A. Gelliī 'Noctium Atticārum' IX, cap. XIII*]

*Verba ex historiā Claudīī Quādrīngāriī, quibus Mānliī
 Torquātī, nōbilis adulescentis, et hostis Gallī prōvo-
 cātōris pugnam dēpīnxit.*

Titus Mānlius summō locō nātus apprīmēque nōbilis
 fuit. Eī Mānliō cognōmentum factum est Torquātus.
 Causam cognōmentī fuisse accēpimus torquis ex aurō
 induviās, quam ex hoste, quem occīderat, dētractam
 induit. Sed quis hostis et quid genus, quam formīdan-
 dae vāstitātis et quantum īsolēns prōvocātor et cui-
 modi fuerit pugnā dēcertātum, Q. Claudius prīmō an-
 nālīum pūrissimē atque illūstrissimē simplicīque et
 incomptā ōrātiōnis antiq̄uae suāvītate dēscrīpsit. Quem
 locum ex eō librō philosophus Favōrīnus cum legeret,
 nōn minōribus quatī afficīque animum suum mōtibus
 pulsibusque dicēbat, quam sī ipse cōram dēpugnantēs
 eōs spectāret.

Verba Q. Claudīī, quibus pugna ista dēpicta est, ad-
 scrīpsī: “Cum interim Gallus quīdam nūdus praeter scū-
 tum et gladiōs duōs torque atque armillīs decorātus
 prōcessit, quī et vīribus et magnitūdine et adulēscentiā
 simulque virtūte cēterīs antistābat. Is maximē proeliō
 commōtō atque utrīsque summō studiō pugnantibus
 manū significāre coepit utrīsque, quiescerent. Pugnae
 facta pausa est. Extemplō silentiō factō cum vōce ma-
 ximā conclāmat, sī quis sēcum dēpugnāre vellet, utī

prōdīret. Nēmō audēbat propter magnitudinem atque immānitātem faciēs. Deinde Gallus irrīdēre coepit atque linguam exsertāre. Id subitō perdolitur est cuidam Titō Mānliō, summō genere gnātō, tantum flāgitium cīvitātī accidere, ē tantō exercitū nēminem prōdīre. Is, ut dīcō, prōcessit neque passus est virtūtem Rōmānam ab Gallō turpiter spoliārī. Scūtō pedestrī et gladiō Hispānicō cīnctus contrā Gallum cōstitit. Metū magnō ea congressiō in ipsō pontī utrōque exercitū īnspectante facta est. Ita, ut ante dīxī, cōstitērunt: Gallus suā disciplīnā scūtō prōiectō cantābundus; Mānlius animō magis quam arte cōnfīsus scūtō scūtum percussit atque statum Gallī conturbāvit. Dum sē Gallus iterum eōdem pactō cōstituere studet, Mānlius iterum scūtō scūtum percutit atque dē locō hominem iterum dēiēcit; eō pactō eī sub Gallicum gladium successit atque Hispānicō pectus hausit; deinde continuō humerum dextrum eōdem concessū incīdit neque recessit usquam, dōnec subvertit, nē Gallus impetum ictī habēret. Ubi eum ēvertit, caput praecīdit, torquem dētrāxit eamque sanguinentam sibi in collum impōnit. Quō ex factō ipse posterīque eius Torquātī sunt cognōminātī.”

Ab hōc Titō Mānliō, cuius hanc pugnam Quādrīngārius dēscripsit, imperia et aspera et immītia Mānliāna dicta sunt, quoniam postea bellō adversum Latīnōs cum esset cōsul, fīlium suum secūrī percussit, quī speculātum ab eō missus, interdictō hostem, a quō

immānitās -ātis *f* = *ferōcītās*
(< ferōx)
faciēs: faciēs
ir-rīdēre = rīdēre
ex-sertāre = ostendere
per-dolēre = valdē dolēre
gnātus: nātus
flāgitium -ī *n* = indignitās,
turpe factum

Hispānicus -a -um < Hispānia

con-gressiō -ōnis *f* = gradus
in eundem locum ad pugnam
īn-spectāre = studiō spectāre
disciplīna -ae *f* = ars bellandī
cantābundus -a -um = cantāns;
suā disciplīnā c.: ex suā disciplīnā
pugnāns
cōn-fīdere cōn-fisus esse

sē cōstituere: stāre, in locō manēre

suc-cēdere < sub + cēdere
Hispānicō (gladiō) pectus hausit:
H.um (gladium) in pectore fixit
humerum: umerum
concessus -ūs *m*: eōdem
concessū = eōdem modō
sub-vertere = caedere
habēret: faceret
ē-vertere = *prōcidere* (pro + cadere)
prae-cīdere < prae + caedere
dētrāxit: abdūxit
cognōmināre < cognōmen

asper -a -um = dūrus, difficilis
im-mītis -e = trux, ferōx
īn bellō

speculārī = explorāre
inter-dīcere = vetāre

A. GELLII NOCTIVM ATTICARVM EXCERPTA

prōvocātus erat



prō-pugnātiō -ōnis *f* = *dē-*
fēnsiō (< *dē*fendere)
secus *adv* = aliter
prorsus *adv* = penitus
librī annālēs ā Claudiō Quā-
drīgariō scrīptī

Pōmptīnus -a -um < Suessa
Pōmētia, oppidum Vōlscō-
rum
īn-sīdere -sēdisse = occupāre
agentibus: turbāfīs
prōcēritās -ātis *f* < *prōcērus*
= altus et longus
prae-fulgēre = valdē fulgēre
grandia ingrediēns: gradibus
grandibus *i*.
recīprocāre = identidem
movēre
circum-spicere
con-gredī = cōn-flīgere
: dum cēterī ambigūi sunt
ambiguus -a -um = cūctāns
im-mānis -e = ferōx, saevus
ar-ro-gāns -antis = superbus,
īnsolēns
in-trepidus -a -um = nōn tre-
pidus
modestus -a -um ↔ arrogāns
cōn-serere -uisse -rtum:
manum *c.*: proelium com-
mittere
im-prōvīsus -a -um = inexc-
pectātus
ad-volāre

prōvocātus fuerat, occīderat.

DE PVGNA M. VALERII CORVINI

[Ex A. Gellī 'Noctium Atticārum' IX, cap. XI]

Dē Valeriō Corvīnō; et unde Corvīnus.

Dē Maximō Valeriō, quī Corvīnus appellātus est ob
auxilium prōpugnātiōnemque corvī ālitis, haud quis-
quam est nōbilium scrīptōrum, quī secus dīxerit. Ea
rēs prorsus admīranda sīc profectō est in librīs annāli-
bus memorāta:

Adulēscēns tālī genere ēditus L. Fūriō Claudiō Ap-
piō cōsulibus fit tribūnus mīlītāris. Atque in eō tem-
pore cōpiae Gallōrum ingentēs agrum Pōmptīnum īn-
sēderant, īnstruēbanturque aciēs ā cōsulibus dē vī ac
multitūdine hostium satis agentibus. Dux intereā Gal-
lōrum vāstā et arduā prōcēritāte armīsque aurō prae-
fulgentibus grandia ingrediēns et manū tēlum recīpro-
cāns incēdēbat perque contēptum et superbiam cir-
cumspiciēns dēspiciēnsque omnia venīre iubet et con-
gredī, sī quis pugnāre sēcum ex omnī Rōmānō exerci-
tū audēret. Tum Valerius tribūnus cēterīs inter metum
pudōremque ambigūis impetrātō prius ā cōsulibus ut
in Gallum tam immāniter arrogantem pugnāre sēsē
permitterent, prōgreditur intrepidē modestēque obvi-
am; et congrediuntur et cōnsistunt, et cōnserebantur
iam manūs, atque ibi vīs quaedam dīvīna fit: corvus
repente imprōvīsus advolat et super galeam tribūnī īn-

sistit atque inde in adversāriī ōs atque oculōs pugnāre incipit; īnsilībat, obturbābat et unguibus manum lanīābat et prōspectum ālīs arcēbat atque, ubi satis saevīerat, revolābat in galeam tribūnī. Sīc tribūnus spectante utrōque exercitū et suā virtūte nixus et operā ālītis prōpugnātus ducem hostium ferōcissimum vīcit interfēcitque atque ob hanc causam cognōmen habuit Corvīnus. Id factum est annīs quadringētīs quinque post Rōmam conditam.

Statuam Corvīnō istī dīvus Augustus in forō suō statuendam cūrāvit. In eius statuae capite corvī simulācrum est reī pugnaeque, quam dīximus, monimentum.

DE INOPIA C. FABRICII LVSCINI

[Ex A. Gelliī ‘Noctium Atticārum’ I, cap. XIV]

Quid dīxerit fēceritque C. Fabricius, magnā vir glōriā magnīsque rēbus gestīs, sed familiae pecūniaeque inops, cum eī Samnītēs tamquam indigentī grave aurum dōnārent.

Iūlius Hygīnus in librō dē vītā rēbusque illūstrium virōrum sextō lēgātōs dīcit ā Samnītibus ad C. Fabricium, imperātōrem populī Rōmānī, vēnisse et memorātīs multīs magnīsque rēbus, quae bene ac benivolē post redditam pācem Samnītibus fēcisset, obtulisse dōnō grandem pecūniam ōrāsseque uti acciperet ūterēturque; atque id facere Samnītēs dīxisse, quod vidērent multa ad splendōrem domūs atque victūs dēfierī

īn-sistere = stāre
 adversārius -ī *m* = hostis
 īn-silīre (in + salīre)
 ob-turbāre = impedīre
 prōspectus -ūs *m* = quod
 prōspicitur
 saevīre = saevus esse
 saevīerat: saevīverat
 re-volāre
 nīfī nīsum/nixum esse = ad-
 iuvārī
 prō-pugnāre = dēfendere

monimentum: monumentum

inops -opis (> inopia) =
 pauper, egēns
 indigēns -entis = egēns
 grave aurum: grave pondus
 aurī

C. Iūlius Hygīnus: Hispanus
 scrīptor quī aetāte Augustī
 vīxit

benivolē = benignē

obtulisse dōnō grandem pecūniam: o. dōnum grandis
 pecūniae
 ōrāsse: ōrāvīsse
 splendor -ōris *m* = dignitās
 victus -ūs *m* = vīta, mōrēs
 dēfierī: deesse

A. GELLII NOCTIVM ATTICARVM EXCERPTA

amplitūdō -inis < amplus
lautus -a -um = nōbilis,
splendidus
lautum *mūnus imperātōris*
manus plāna ↔ pugnus
nārēs -ium *f*= nāsus
gula -ae *f*= iugulum
porrō *adv*= ad ultimum

ob-sistere = resistere, sē dē-
fendere

fūrāx -ācis (< fūr) = quī rēs
aliēnās cupit et capit
avāritia -ae *f*< avārus
amīcō ūtēbātur: prō amīcō
habēbat
ōdisse ōsum esse *v. dēf.*
ōsus fuit: ōsus est
reī *pūblica*

compētītōr -ōris *m* = homō
quī idem petit quam alius
futtīlis -e = nōn aptus
ad-nīti -nīsum/-nīxum esse
= valdē labōrāre, studēre

neque prō amplitūdine dignitāteque lautum parātum esse. Tum Fabricium plānās manūs ab auribus ad oculōs et īnfrā deinceps ad nārēs et ad ōs et ad gulam atque inde porrō ad ventrem īmum dēdūxisse et lēgātīs ita respondisse: ‘dum illīs omnibus membrīs, quae attingisset, obsistere atque imperāre posset, numquam quicquam defutūrum; proptereā sē pecūniam, quā nihil sibi esset ūsus, ab hīs, quibus eam scīret ūsui esse, nōn accipere.’

PEIOR HOSTIS INIMICO

[*Ex A. Gellī ‘Noctium Atticārum’ IV, cap. VIII*]

Quid C. Fabricius dē Cornēliō Rūfīnō homine avārō dīxerit, quem cum ōdisset inimīcusque esset, dēsīgnandum tamen cōnsulem cūrāvīt.

Fabricius Luscinus magnā glōriā vir magnīsque rēbus gestīs fuit. P. Cornēlius Rūfīnus manū quidem strēnuus et bellātor bonus mīlitārisque disciplīnae perītus admodum fuit, sed fūrāx homō et avāritiā ācrī erat. Hunc Fabricius nōn probābat neque amīcō ūtēbātur ōsusque eum mōrum causā fuit. Sed cum in temporibus reī difficillimīs cōsulēs creandī forent et is Rūfīnus peteret cōsulātum compētītōrēsque eius essent imbellēs quīdam et futtilēs, summā ope adnixus est Fabricius uti Rūfīnō cōsulātus dēferrētur. Eam rem plērīsque admīrantibus, quod hominem avārum, cui esset inimīcissimus, creārī cōnsulem vellet, “mālō” inquit “cīvis mē

compīlet, quam hostis vendat.”

Hunc Rūfīnum posteā bis cōsulātū et dictātūrā functum cēnsor Fabricius senātū mōvit ob luxuriae nōtam, quod decem pondō librās argentī factī habēret. Id autem quod suprā scrīpsī Fabricium dē Cornēliō Rūfīnō ita, uti in plērāque historiā scrīptum est, dīxisse, M. Cicerō nōn aliīs ā Fabriciō, sed ipsī Rūfīnō grātiās agentī quod ope eius dēsīgnātus esset, dictum esse refert in librō secundō dē orātōre.

DE HONESTATE CONSVLVM

[Ex A. Gelliī ‘Noctium Atticārum’ III, cap. VIII]
Litterae eximiae cōsulum C. Fabriciī et Q. Aemiliī ad rēgem Pyrrhum ā Q. Claudiō scrīptōre historiārum in memoriā datae.

Cum Pyrrhus rēx in terrā Italiā esset et ūnam atque alteram pugnās prosperē pugnāset satisque agerent Rōmānī et plēraque Italia ad rēgem dēscīvisset, tum Ambraciensis quispiam Tīmochares, rēgis Pyrrhī amīcus, ad C. Fabricium cōsulem furtim vēnit ac praemium petīvit et, sī dē praemiō convenīret, prōmīsīt rēgem venēnīs necāre idque facile esse factū dīxit, quoniam filiī suī pōcula in convīviō rēgī ministrārent. Eam rem Fabricius ad senātum scrīpsit. Senātus ad rēgem lēgātōs mīsīt mandāvitque, ut dē Tīmochare nihil prōderent, sed monērent, uti rēx circumspēctius ageret atque ā proximōrum īnsidiīs salūtem tūtārētur. Hoc ita,

compīlāre = spoliāre
 :mē servum vendat

luxuria -ae f= luxus

historiā: librīs dē historiā

Cicerō autem refert id, quod suprā scrīpsī, nōn ā Fabriciō dictum esse aliīs, sed ipsī Rūfīnō, dum grātiās agēbat quod ope eius dēsīgnātus esset.

alteram: duās
 ūnam atque alteram: ūnam vel duās
 pugnāset: pugnāvisset

Ambraciensis -e < Ambra-
 cia, oppidum Ēpīrī
 quispiam quaequam quod-
 piam = quīdam
 furtim = clam

:filiū Tīmocharis
 ministrāre (< minister) =
 servīre, pōcula vīnō implēre
 eam rem scrīpsit: dē eā rē s.
 prōderent: dicerent
 circumspēctus -a -um = at-
 tentus

tūtārī = tuērī

A. GELLII NOCTIVM ATTICARVM EXCERPTA

Valerius Antiās librōs chro-
nicōs scrīpsit saeculō I a.C.

Nīciās -ae m

abl/gen + tenus = ad/contrā
+ acc

gen + ergō = gen + causā
nōbīs vīsum est
ut tē armīs vincere possīmus

negāvīmus nē exspectāret:
dīxīmus nolle sē exspectāre

eius-modi = ita, sīc

: quia nōbīs...

iacēbis: cadēs

uti dīxīmus, in Valeriī Antiātis historiā scrīptum est. Quādrīgārius autem in librō tertiō nōn Tīmocharem, sed Nīciam adiisse ad cōnsulem scrīpsit neque lēgātōs ā senātū missōs, sed ā cōsulibus, et Pyrrhum populō Rōmānō laudēs atque grātiās scrīpsisse captīvōsque omnēs, quōs tum habuit, vestīvisse et reddidisse.

Cōsulēs tum fuērunt C. Fabricius et Q. Aemilius. Litterās, quās ad rēgem Pyrrhum super eā causā mīsērunt, Claudius Quādrīgārius scrīpsit fuisse hōc exemplō:

Cōsulēs Rōmānī salūtem dīcunt Pyrrhō rēgī.

*Nōs prō tuīs iniūriīs continuīs animō tenus commō-
tī inimīciter tēcum bellāre studēmus. Sed commūnis
exemplī et fideī ergō vīsum ut tē salvum velīmus, ut
esset quem armīs vincere possīmus. Ad nōs vēnit Nī-
ciās familiāris tuus, quī sibi praemium ā nōbīs peteret,
sī tē clam interfēcisset. Id nōs negāvīmus velle nēve
ob eam rem quicquam commodī exspectāret, et simul
vīsum est ut tē certiōrem facerēmus nē quid, eiusmodi
sī accīdisset, nostrō cōnsiliō cīvitatēs putārent factum,
et quod nōbīs nōn placet pretiō aut praemiō aut dolīs
pugnāre. Tū, nisi cavēs, iacēbis.*